

CAPUT XI.

COMITES DE SINZENDORFF.

Ex Comitum de Sinzendorff hæreditariorum Sacri Romanii Imperii Thesaurariorum splendidissima familiâ, Paulus de Sinzendorff prodiit, qui annuentibus Fratribus, Ottone, Nicolao, & Pilgramo Sinzendorffis tres & viginti denarios annuorū redditum in Hund-hafen Grabern cum consensu Feudi Dominorum Johannis & Leutholdi Dominorum de Chunring summorum Austriae Pincernarum [pro sapia quæ in his terris omnibus aliis dubiam suo tempore palmā fecit] Conlobrino suo Ottoni Stockharter & Agneti ejus Uxori produabus libris denariorum Viennensium An: 1347. vendidit. (a) Johannes de Sinzendorff testis adducitur in duobus documentis de Anno 1379. (b) Sequenti Anno 1380. Idem Johannes à Berchtoldo de Stadel prædium quoddam emit. (c) A Georgio Domino de Volckerstorff autem Anno 1389. feudâ accepit. (d) Idem annis quinque antea Anno videlicet 1384. aliis quoque bonis per venditionem acquisitis patrimonium auxit. (e) Eo temporis traetu Fridericus de Sinzendorff ex hac gente claruit, qui ecclesiasticam vitam amplexus Parochiæ S. Georgii Pastorem dedit, ejus fit mentio in Reverbalibus literis Anno 1385. quas Frater Johannes à Sinzendorff quoque subscriptis. (f) Emit porrò Fridericus ille villam quandam in Parochia Wielburgensi sitam Anno 1385. (g) Johannes autem Sinzendorffius ære suo ab Egidio de Wolffstein partem prædii Thalern Anno 1390. acquisivit. (h) Cujus loco tria prata in Thalern Fratri Friderico Anno 1390. vendidit, testesque in rei fidem rogavit Wolffhardum à Sinzendorff & Egidium de Wolffstein. (i) Johannes de Sinzendorff porro, & Frater ejus Fridericus Anno 1400. à Wilhelmo Hauser Austriae equite & Anno 1402. solus Johannes ab Henrico Wenzel bona quædam sibi compararunt. [k] Johannes Wölb in favorem Johannis Sinzendorffii Juri suo in prædia tria in territorio Parochiæ S. Georgii sita Anno 1414 renunciat. [l] Elisabetha Johannis à Sinzendorff Uxor, & Georgii Baronis ab Eizing filia ab Alberone Domino de Volckerstorff duo prædia in Winschendorff Anno 1405. in feudum accepit. [m] Johannes Sinzendorffius præterea bona quædam Anno 1407. emit. [n] Albertus Austriae Dux dimidiâ partem Castri Wasen à Georgio Scheck refutatam Wolffhardo Georgio & Eberlino, Johannis Sinzendorffii filiis Anno 1413. in feudum concessit. [o] Elisabetha à Rosenharth primis nuptiis Johanni Sinzendorffio copulata post ejus